Disputatio physica, de corporum defunctorum operationibus / [Johann Georg Bierling].

Contributors

Bierling, Johann Georg.
Mueller, Johann.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Wittenberg : M. Henckel, 1679.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/cgyuwknw

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

8

Q. D. B. V.

Disputatio Physica,

De

CORPORUM DEFUNCTORUM OPERATIONIBUS:

Quam,

IN ILLUSTRI AD ALBIM ACADEMIA

Sub Præsidio

VIRI

Præcellentis atq; Præclarissimi

DN. M. JOHANNIS MÜLLERI,

Amplis. Colleg. Philosoph. Adjuncti meritissimi,

Dni Fautoris & Præceptoris sui

ætatem colendi,

Publicæ placidæqve Eruditorum ventilationi

exponit

JOHANNES GEORGIUS Bierling /

Budissâ Lusatus.

In Auditor. Majori

ad d. XXX. Augusti

Anno M. DC. LXXIX.

WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

8

Q. D. F. F. Q. E. J.

§. I.

Corpora viva varias exercere operationes per suas formas, res est notissima, & notior, qvàm ut à me hîc debeat fusiùs explicari. Ratio in promtu. Ut enim *Materia* vulgò *Principium corporis internum passivum* dici solet, qvia à Formâ patitur ac dirigitur; ita vicissim *Forma principium corporum activum* vel actuans salutari consvevit, ideò, qvòd res actuet, informet, ædificet, consummet, & vim largiatur operandi. Qvamdiu ergò Corpora suis formis, tanqvam vitalium operationum principiis, gaudent, tamdiu etiam ea tales operationes posse exercere, facilè à qvovis intelligitur. Cùm verò *etiam in corporibus demortuis*, è qvibus forma specifica dudum abiit, plurimas sæpeq; mirandas *deprehendamus operationes*, non immeritò qværitur, unde & ex qvô principio illæ operationes oriantur? Difficilis qvidem, fateor, & intricata res est, jucunda tamen scitu, & digna proinde mihi visa, ut peculiari dissertationi, dum ingenii vires periclitari & explorare cupio, subjiciatur, & breviter expendatur. Idqve institutum in tàm amplâ æqve ac arduâ materiâ dum aggredior, si in dissertatione hâc omnia exactè & accuratè comprehensa non sint, veniam precor brevitatis studiosus. Ordine autem ut progrediar, *sine qvô*, *Scaligeri* præconio, *Natura constare non potest, & qvô nihil vel in animo vel in opere Sapientiùs admirabilius est*, tribus includam Membris totam Dissertationem. *Primùm* enim *Qvæ ad statum Controversiæ pertinent, enucleabo*; Deinde *per varia Exempla demonstrabo veritatem Qvæstionis*, cum ad τὸ διότι progressio haud pateat, nisi prius τὸ ὅτι conspicuum reddatur; Deniq; verò *in Causas tàm admiran-*

Exercit. II. p. m. 7.

dorum sæpe effectuum penetrabo pro viribus. Faxit DEus ut FELICITER!

§. II. Qvod ergò spectat *ad statum controversiæ*, primò omnium, qvoniam de operationibus Corporũ mortuorum est hîc nobis disputatio, in eô conveniamus necesse est, *qvænam Corpora propriè vivant, & per consequens* (mors enim est privatio vitæ,) *moriantur*. Ut autem illud appareat, videndum *qvid sit propriè vivere*, & qvid importet hoc vocabulum? Dico, vivere propriè nihil aliud esse, qvàm vitalem actionem exercere. Actionem verò vitalem qvando dico, non intelligo actionem vel motum omnem, per qvem aliqvid se ipsum movet, qvamvis Scholastici talem motum etiam habeant pro actione vitali. Sic enim *Thomas**: Viventia in eo distingvuntur à non viventibus, secundum qvod dicuntur vivere. Nam ex iis, qvæ manifestè vivunt, accipere oportet, inqvit, qvorum sit vivere. Ergò cùm dicamus tunc animal vivere, qvando certam aliqvam speciem motûs ex se habet, in eo vita reponenda est, qvod aliqvid se ipsum moveat. Verùm enim verò hâc ratione etiam essent actiones vitales E.g. qvando lapis à se ipso ad centrum terræ descendit: aut qvando stellæ moventur in cœlo; cum tamen illæ res non sint animatæ, ultrò largientibus ipsis Scholasticis. (a) Sed per actiones vitales intelligimus ejusmodi operationes, qvæ pertinent vel ad vitam sensitivam, ut cognoscere per sensus; vel ad vitam vegetativam, ut nutriri, & in omnem partem augeri ex intus adsumto alimento (b); vel ad vitam intellectivam, ut intelligere &c. & in hoc sensu operatio vitalis nulli competit corpori, nisi illud animâ aliqvâ gaudeat. Paucis: τὸ vivens, & τὸ animatum nobis sunt Synonyma: Qvamvis è contrario τὸ mortuum, & τὸ inanimatum non coincidant.

**P.1. Q.8. a.1.*

a] Petrus Galtruchius Phys. Partic. p. m. 311. sq.

(b) Galtruch. Phys. Partic. p. m. 216.

§. III. *Nulla* igitur nobis *hîc disputatio est de Corporibus cælestibus omnibus*, aqvis putà supracœlestibus, (qvarum existentiam hîc tanqvam certam supponimus,) de Cœlo ipso, & universo siderum exercitu. Porrò nec de Elementis, item de mineralibus, lapidibus scil. gemmis, metallis in specie dictis, & mineralibus mediis. Hæc enim omnia sicut animâ, ita & vitâ, qvæ est ab animâ, & morte, qvæ vitæ est privatio, carent. Qvod verò omni prorsus animâ careant, probatur, qvia nullius animæ nec

ratio-

rationalis, nec sensitivæ, nec vegetativæ facultates & operationes in iisdem deprehenduntur. Non enim (1) *intelligunt*, qvia intellectio non fit sine præviâ sensatione, cum nihil sit in intellectu, qvod non priùs fuerit in sensu; jam verò horum corporum naturæ non potest tribui (2) *sensatio* vel *sensus*, qvoniam sentiendi organis, qvorum usum sensatio reqvirit, destituuntur: nec (3) functio facultatum vegetantium, utpote nutritionis & veræ augmentationis ex alimento intus suscepto in istis corporibus deprehenditur, qvia etiam organis ad nutritionem & augmentationem reqvisitis carent.

§. IV. Non eqvidem ignoro, qvosdam Philosophos hâc in parte nobis contradicentes pro vitâ horum corporum pugnare, & in specie qvidem *Cœlo vitam* vindicare nituntur *Plato*, qvi *in Timæo suo* Cœlum sæpe vocat *corpus animatum sive animal*; & qvi Platonem secuti sunt, *Plinius & Bodinus (a)*, qvi Cœlum definit, qvod sit *animal intelligens continuò mobile &c.* Item *Averroista, Arabes, Ægyptii*, omnesq; fermè antiqvi Philosophi, qvibus se etiam adjunxerunt Neoterici qvidam, qvos inter ipse *Scaliger (b)*. Porrò *Stellis animam rationalem* qvidam affricare non veriti sunt, inter qvos est *Virgilius (c)*, *Cicero (d)*, *Philo de Somniis*, *Origenes (e)*, qvi etiam eò prolapsus est, ut stellas simul virtutis & vitiorum capaces esse docuerit: *Cardinalis Cajetanus (f)*, qvibus se qvoqve associare videntur *Patritius & Bodinus*, qvi l.c. stellas definit, qvòd sint animalia cœlestia intellectu & luce prædita &c. Qvam sententiam secuti qvoq; sunt *Ægyptii*, *Stoici & Athenienses*, uti videre est apud Eusebium (g) & Augustinum (h), qvi simul Astra inter deos, sed perperàm collocarunt. Alii tamen saniores videri gestientes stellis modò *animam sensitivam & vegetativam* asseribunt, ut *Pythagoras*, ejusqve Assectæ, *Heraclitus*, *Avicenna (i)*, *Thomas Campanella (k)* *Keplerus* aliiq;, Nec desunt, qvi *elementa vitâ prædita* esse asserunt, ut *Martinus Kergerus* Med. & Phys. Lignic. *(l)* & magis adhuc *Minerali a sive Metalla vivere* ultimorum ex recentioribus *Chymicorum* est sententia, tribuitq; hanc sententiam *Cardano Scaliger (m)*, imprimis verò eam propugnat & defendit *Kergerus* l.cit. Verùm hos omnes ratio nostra

(a) L. 5. Theat. Nat.
(b) Exercit. 61. dist. 5. p. m. 231. seqq.
(c) l. 6. Æneid.
(d) L. 2. de N. D. §. 35.
(e) Hom. 28 in Num. & T. 1. Comment. in Job.
(f) Comment. in Ps. 33.
(g) L. 1. de Praparat. Evangl. c. 6.
(h) L. 18. de C. D.
(i) L. 9. Met. c. 2.
(k) in Lib. de sensu rerum.

 §. præ-

(l) in Libr. de Fermentatione. (m) Exerc. 102. dist. 1. p. 371.

§. præcedente adducta refutat. Et hoc primum est, qvod in statu controversiæ exponendo erat observandum.

§. V. Deinde etiam dist. *inter corpora verè, & apparenter tantùm mortua.* Non loqvimur hîc de corporibus apparenter mortuis, ea enim iterum operari, mirum non est, cùm forma nunqvam ex iis egressa, tantùm ad tempus latuerit. Qvod comprobat exemplum *hirundinum*, qvi hyberno tempore qvasi mortuæ alicubi jacent: qvamvis *qvò se tunc temporis recipant*, non una omnium sit sententia, de qvo conf. Excell. Dn. Thomas. Disp. de hybernaculis hirundinum. Qvidam putant, eas hyeme appropinqvante, calidiores petere regiones; Alii contrà vel in arboribus concavis, vel aqvis, vel rupibus, vel alio qvocunqve loco lese abscondere perhibent; & qvidem propter has rationes: (1) qvia in hyeme sæpe reperiantur latentes in concavis & putridis arboribus (*a*), (2) angustiis convallium (*b*), (3) altis montibus (*c*), (4) locis petrosis (*d*), (5) aqvis & lacunis (*e*), (*6*) qvandoqve etiam in nidis suis, vel in domibus, qvod suo exemplo comprobatum reddidit suo tempore *D. Georgius Major*, qvando refert (*f*): se Wittebergæ in templo Arcis sub vetustâ qvâdam tabulâ tempore hyemis conglobatam hirundinum congeriem invenisse, qvæ in vaporarium delatæ spiritum ac vitam receperint. Uti hoc ex ipso B. Majore refert *B. Gerhardus* (*g*), ubi plura hujus rei exempla legere licet. Ex his verò diversis Autorum sententiis relationibusqve qvid certi statuendum sit, res profectò ardua est, qvam nonnisi exercitatissimi Physici indagare valeant. *Sengverdius* (*h*) tamen diversissimas has sententias conciliare studet, cùm plura & diversa essent hirundinum genera, juxta *Plinium* (*i*) & *Scaligerum* (*k*), qvi ultimus qvatuor numerat earum genera. Putat igitur Sengverdius illas, qvi propiùs adsunt ripis, hyberno tempore in aqvis, & sub fluviatili arundine latebras qværere, reliqvas verò partim in arbores cavas, partim in calidiores regiones se recipere. Cui sententiæ qvoq; adstipulatur *Kircherus* (*l*), & *Voigt* (*m*). Nos verò, uti nemini hâc de re litem movebimus

(*a*) *Franz. H. A. P. 2. c. 21. p. m. 513. Ranzovius Cal. Rom. p. m. 16, 17.*
(*b*) *Franz. l. c.*
(*c*) *Ranzov. l. a.*
(*d*) *Bodin. Theatr. N. Franz. l. c.*
(*e*) *Olaus M. de reb. Septentr. L. 19. Zeiller. Cent. 2. ep. 83. Ranzov. l. 6. Franz. l. a.*
(*f*) *Comment. in Cor. 15.*
(*g*) *LL. CC. 228. sect. 1 p. m. 717. sq.* (*l*) *Mund. Subt. L. 8. S. 4. p. 88. a. sq.* (*m*) *Physicalischen Zeit-Vertr. Cent. 1. Q. 92. p. m. 206. sq.*
(*h*) *Exercit. 42.* (*i*) *L. 10 N. H. c. 33. p. m. 176.* (*k*) *Exerc. T. 8. de Resurr. §. 33.*

mus, ita, si ingenuò & liberè fateri liceat, qvid sentiamus, putamus probabilem maximè esse istam sententiam, qvâ statuitur, hirundines appropinqvante hyeme vel in aqvis, vel petris, vel arboribus, vel domibus, vel alibi sese abscondere, & qvasi mortuas jacere, non verò per mare in calida loca emigrare, cùm illud experientiâ satis, hoc verò nondum hactenus probatum sit. Et si hirundines cum reliqvis avibus avolantibus calidas regiones peterent, certè etiam sub vernum tempus non sigillatim una post aliam, (qvod experientia testatur) sed gregatim more ciconiarum aliarumqve volucrum ad nos redirent. *Qvod* verò *hirundines in illo statu atq; tempore minimè sint mortuæ reverâ*, sed tantùm apparenter & qvasi-mortuæ, probatur, qvia tunc forma adhuc in ipsis residua est, in actu scil. primo, qvod colligitur exinde, qvia tunc ab omni putredine sunt immunes: &, si forma ex eis in illo statu emigrasset, impossibile foret, eas ad operationes & actiones vitales sub vernum tempus redire posse, cum à privatione totali ad habitum non detur regressus. Qvomodo verò Hirundines intra aqvam aliaq; loca hyeme vivere qveant, docet Kircherus Mund. Subt. L. 8. c. 4 p. 89. a. ubi col. b. simile exemplum & experimentum tradit de Ciconiis.

§. VI. Similis ratio est *muscarum*, de qvibus non tantùm Plinius, (a) sed ipsa qvoqve experientia comprobat, qvod aqvâ vel oleo extinctæ sub tepido cinere, vel etiam sale atqve cretâ reviviscant. Et qvis nescit, *ranas, serpentes, bufones* & totum ferme genus *insectorum* hyberno tempore qvasi emortua jacere, sed verno tempore reviviscere, qvæ tamen nullo modo possunt dici verè mortua, qvia forma adhuc in iisdem est: Qvamvis neget Kircherus (b) insecta qvædam tempore hyberno vivere, & existimet, *ea qvotannis calore adveniente tanqvam ex busto sive seminio proprii cadaveris instaurari.* Nec desunt *exempla in regno Vegetabili*, ubi in plantis ad longum tempus qvoq; forma latet, tandemq; se exerit. Sic admiratione dignum, & vix credibile est, qvod scribit *Liceti* (c); se vidisse Rechi, in horto patrui sui, Bartholomæi Liceti, stipitem oleæ sativæ *aridum* ferè ac levem per decennium & ultra à trunco separatum, neq; posthac unqvam terræ implantatum, ad alterius ligni fulcrum juxta puteum in terram

(a) L. 11. N.H. c. 36.

(b) Mund. Subt. L. 12. S. 2. p. 359. b.

(c) L. 3. de his, qvæ diu vivunt sine alimentis &c.

terram demissum, & ligno, cui fulcimentum præstabat, cla
ferreis affixum pullulasse, germinasseqve, eôdem anno plures
livarum novellas foliis & fructibus onustas, atqve imposterur
etiam ad plures annos protulisse. Ut non dicam *de hominib*
in ἐκτάσει jacentibus, laqveo strangulatis, aqvâ suffocatis, qvi sa
pro mortuis habiti iterum (ut ex communi loqvar sententi
revixerunt. Nos totam hanc controversiam decidi poss
existimamus, si modò duæ adhibeantur distinctiones: scil. di
inter *formam latentem, & patentem*; vel, ut alii loqvi malunt,
ter actum vitæ primum sive Entitativum, & secundum sive form
lem: dicimus, Qvamvis iste corpora in tali statu actu vitæ secu
do non gaudeant, primum tamen eis non posse denegari, qvan
diu potestate pollent ad vitam naturaliter regrediendi.

VII. His ita præmissis, nunc ad *secundum disputationis n*
stra membrum non convertimus, & exspatiando per duplex r
gnum, Vegetabile scil. & Animale, per plures *dari operation*
corporum verè demortuorum, tum plantarum, tum brutorum an
mantium, tum deniq; ipsorum hominum variis & jucundis p
riter *evictum dabimus exemplis*. Ubi tamen non omnia, qv
aliàs dissertatio supra modum excresceret, sed potiora tantùm
& notabiliora adducemus.

§. VIII. Qvod ergò *ad Plantas sive corpora vegetativa*
attinet, cernimus primò *herbas in Medicinâ* operari variè & mo
bis mederi post suam mortem. Siqvidem utplurimum in M
dicinâ adhibentur herbæ aridæ, varieq; subactæ & contusæ: qv
omnia cùm ex Botanicis (qvorum scrinia compilare nobis in
præsens propositum non est,) prolixius peti possint, hîc sicc
prætereo pede. Tria tantùm ut adducam exempla, ratio M
thodi nostræ svadet. Sic e. g. *Rhabarbarum* vitâ defunctum
aridum corpus purgat. Et qvis nescit *Lilia Convallia* arida & co
fricta naribusq; applicata mirificè & optimè caput cerebrum
purgare? Ita & *Plinius* (a) auctor est: *Violis* recentibus minore
inesse vim, qvàm aridis, *ideoq;*, dicit, *aridis post annum utendum*
Deinde *herbas, ubi putrescunt & corrumpuntur revivisceré poss*
qvotidiana testatur experientia, dum in agris hortisqve fimo st

a] N. H. L. 21. c. 19 p. m. 393.

co

coratis, eas plantas, qvæ in fimo putruerunt, reflorescere cerni-
mus &c. Præterea qvoqve *planta aliqva ex aliâ putridâ diversa
tamen speciei producitur & enascitur. Arbores* enim *demortuæ
producunt fungos & tubera*; uti *Scaliger* (*a*) autor est, ex popul-
neis frondibus concisis atqve sepultis fungos educi.

§. IX. Insuper qvoq; *Vermes & animalia plantas defun-
ctas & putridas producere* experimur, cujus rei *testimonium* nobis
præbet *B. Sennertus* (*b*) qvando scribit: *E plantis etiam aridis &
demortuis animalia nascuntur, & blattas, tineas, teredines, & varia
vermium genera in erosis lignis nasci & reperiri, vulgò notissimum
est. Aristoteles* refert (*c*): animalium omnium minimum, Acari
dictum, non solùm in cerâ vetustâ, sed & in ligno candido nasci.
Ex Moro ejusqve lucco bombycem nasci asserit *Kircherus* (*d*),
qvi etiam ibidem p. 351. in fin. miram ex putrido Liburni ramo
animalis productionem describit. Huc & à nonnullis referri
solent *Anseres & Anates Scotici*, quos etiam nonnulli è lignis pu-
tridis nasci scribunt, de qvibus prolixè conferantur B. *Sennertus*,
(*e*) *Kircherus*, (*f*) *Licetus*, (*g*) *Scaliger* (*h*), aliiqve.

§. X. Ultimò, qvod maximè admirationem meretur,
deprehendimus etiam, qvòd *plantæ vel in cineres redactæ revivi-
scere & se movere incipiant*. Cujus rei plura reperire licet ex-
empla apud modernos Chymicos, in specie conferri potest *Kir-
cherus* in Mundo Subterraneo (*i*), ubi meminit cujusdam Poloni
Medici, qvi in Phiala variarum herbarum cineres continebat,
suisqve visitatoribus qvam vellent herbam solo applicato lucer-
næ calore producebat. Cui narrationi annectit statim experi-
mentum qvoddam mirificum, circa qvod diu multumq; se ver-
satum esse affirmat, donec tandem alium qvendam modum inve-
nerit, qvô plantam intra phialam oblongi colli hermeticè clau-
sam ex suis cineribus excitârit, atqve in suo Muséo ad decennium
ferè cunctis Advenis spectandam exhibuerit, donec Anno 1657.
Regina Sveciæ Christina Muséi ipsius Visitatione illum dignata,
summa animi sui voluptate artificium istiusmodi spectârit, qvod
cùm post discessum ejus extra fenestram posuisset, postero die re-
versus vehementioris frigoris vi, (fuisse enim tunc Mensem Fe-
bruarium refert) phialam ruptam finem spectaculi fecisse repe-

a] *Exercit.* 104. *S.* 17. *p.* 396.
b] *Hypomn. V. c.* 8. *p. m.* 493. *sq.*
c] *L. V. Hist. Animal. c.* 32.
d] *Mund. Subt. L.* 12. *S.* 1 *p.* 350.
e] *l. c. p.* 495. *seqq.*
f] *l. c. p.* 346. *a. b.*
g] *L.* 3. *de spontan. viv. ortu c.* 47.
h] *Exercit.* 59. *§.* 2. *p. m.* 214. *sq.*
i] *L.* 12. *S.* 4. *p.* 414. *a. sq.*

rit &c. Subjungit hisce qvoq; alia experimenta mirifica sanè, qvorum primum à Ferdinando III. Imp. gloriosæ mem. revelatum sibi esse gloriatur, qvæ omnia hîc transcribere & examinare nec instituti mei ratio, nec chartæ angustia permittit. Plura exempla etiam possunt videri ap. *Magnenum*, (a) *Quercetanum* (b), *Borellum* (c), *Schottum* (d) aliosqve &c.

§.XI. Progredior nunc ad alterum *Naturæ regnum, Animale* qvod dicitur: & qvidem qvod sensitiva animalia attinet, videmus post mortem ex animalium cadaveribus propullulare & enasci I. *animalia ejusdem speciei.* Sic *Plinius* (e) de ranis testatur, *qvòd resolvantur in limum nullo cernente, & rursus vernis aqvis renascantur.* Ex *locustarum* cadaveribus alias locustas nasci refert *Kircherus* (f). Sic & *serpens mortuus*, minutim concisus, & sub terrâ defossus, novorum plerumqve serpentum seminarium existit, qvod idem testatur *Kircherus* (g), qvi & in *Scrutinio suo pestis* (h) hoc experimentum tradit: *si*, inqvit, *serpentem in minutas partes conscissum pluviali aqvâ maceratum Soli ad nonnullos dies exposueris, deinde in terrâ per integrum diem & noctem sepeliveris, & postea exceptas putredine flaccidas partes Microscopiò examinaveris, invenies totam illam putredinem tantâ serpentulorum pullulantium multitudine scatere, ut nemo adeò lynceus sit, qvi eos numerare possit: qvod idem subinde sensibili intuitu comperias in serpentibus occisis & putrefactis; idq; de omni serpentum genere verissimum esse, jam olim fusè docuimus in Arte Magneticâ. &c.* Idem *Kircherus* (i) de *Ostreis* simile experimentum suppeditat. *Ostreis*, scribens, *in salem conversis, mox ubi arenæ maris dictum salem commiseris, ingentem novarum ostrearum sobolem cum tempore inde prodire reperies.* Simile exemplum de Cancris fluviatilibus habet *Borellus* (k), & de Erucis *Kircherus* (l).

§. XII. Porrò deprehendimus ex mortuis animalibus enasci II. *animalia alia diversæ speciei.* Sic e. g. è mortuis ciconiis generantur serpentes, è gallinis araneæ, ex anatibus ranæ & bufones (m) è cancris scorpiones (n): è juvenco apes (o), ex

a] *in Democrit. rediv. disp. 2. c. 2. prop. 19. p. 183.*
b] *in defens. contra Anonym. c. 23.*
c] *c. 3. obs. 71. p. 253.*
d] *in mirabil. art.*
e] *L. 9. c. 51.*
f] *Mund. Subt. L. 12. S. 2. p. 363. b.*
g] *de Art. Magnet. L. 3. P. 5. c. 3. p. 496. & L. 3. P. 3. c. 1. S. 2.*
h] *S. 1. c. 7. experim. 2. p. 43.*
i] *Itin. Ecstat. 2. dial. 2. c. 5. p. 610.*
k] *Cent. 4. observ. 34 p. 304.*
l] *Art. Magnet. L. 3. P. 3. c. 1. consect. 2. p. 561.*
m] *Kircherus Mund. Subt. L. 12. S. 1. p. 353. a.*
n] *idem ibid.*
o] *Columella de re rustic. L. 9. c. 14.*

ex asini cadavere fucos, ex muli crabrones, ex eqvi vespas oriri, passim ab Auctoribus traditur. *Kircherus* (*a*) tamen perperam dicere ait eos, qvi Apes ex bobus, fucos verò ex eqvis generari asserunt, cùm & apes & fucos ex bobus oriri posse constet. Et huc pertinet etiam admiranda illa Bombycum & Erucarum post mortem suam Metamorphosis, qvam pluribus describit B. *Sennertus* (*b*) & *Kircherus* (*c*), conferatur imprimis *Libavius* in peculiari hâc de re dissertatione, qvæ annexa est Tractatui *Jonstoni* de Admirandis Naturæ. *III. Plantas* qvoq; è cadaveribus animalium enasci novum non esse scribit *Licetus* (*d*). Cæterùm qvoqve *Antipathias & Sympathias de mortua animalia exercere* & fovere deprehenditur. Sic experientiâ multi probant, Panduram chordis lupinis partim, partim agninis obductam, harmonicum nunqvam edere sonum, ob perpetuam istarum chordarum δυσφωνίαν, referente Cardano, aliisqve Musicæ peritis. Addunt & alii, qvòd tympano ex lupinâ pelle confecto & pulsato, frangatur vel certè obmutescat alterum ex ovinâ pelle contextum, qvod testatur Nierembergius (*e*.) Simile ferè exemplum refert B. Sperlingius (*f*) de pennis aqvilinis, qvando ait: *Cæterum naturale odium inter aqvilam & alias pennas esse scriptitant. Pennis aqvilinis etiam cum aliarum avium pennis diffidium esse putant, adeò, ut si pennis anserum aut columbarum misceantur, has corrumpant & consumant.*

§. XIII. Sed insuper qvoqve exempla prostant *venenatorum animalium*, qvæ etiam post mortem contra venena prosunt. *Hoc pacto*, ait *Kircherus* (*g*), *Bufo sole exsiccatus, pestiferis applicatus bubonibus, dum id, qvod pestiferum est, ad se attrahit, hominem simul pestiferâ lue liberat. Sic Scorpionis venenum punctura corpori inditum, ipsius Scorpionis attriti applicatione hominem proprii veneni attractione liberat: sic Pastinacæ venenum, Pastinacæ caudæ attritæ applicatione eruitur.* Idem alibi (*h*) docet, *Viperinam carnem theriacæ constituere hypostasin: & Tarantulam Apuliæ, detritam supra vulnus inflictum in modum emplastri, venenum proprium extingvere, & sic de cæteris &c.* Ubi paulò post præclarum adducit exemplum de Pharmacopœo qvodam Erfurtensi, qvi aspide morsu,

a] *Mund. Subt. L. 12. S. 2. p. 358. a. b.*
b] *Hypomn. V. c. 8. p. 486.*
c] *Mund. Subt. L. 12. S. 2 p. 360. a.*
d] *L. 3. de Spont. viv. ortu. c. 32.*
e] *Hist. Nat. L. 7. c. 53. p. 124.*
f] *Zool. p. m. 295.*
g] *Mund. Subt. L. 9. S. 1. p. 121. a.*
h] *ibid. p. 110. a.*

morſus, per illam coctam & intus aſſumtam qvoq; reſtitutus eſt. *Sunt qvoq;*, pergit ibidem Kircherus, *qvi virulentiſima vipera carne vinoq; viperato paſti, non tantùm qvidpiam noxii experti non ſunt, qvin, qvod admiratione dignum eſt, expulſo omni vitioſo humore ex leprâ irremediabili alioqvin, in perfectum ſanitatis ſtatum reducti ſunt, unde ad vitæ prolongationem carnem viperinam plurimum valere, adeò notum eſt, ut de eo dicere amplius pigeat.* Præter hæc venenoſa etiam alia corpora animalium poſt mortem (ut de illo nihil dicam, qvod carnes brutorum morte violentâ extinctorum non tantùm in nobis hominibus, ſed etiam aliis animalibus, qvæ iisdem veſcuntur, calidum innatum reſtituant & inſtaurent,) in Medicinâ præclaras edunt operationes, de qvo videatur *Kircherus* (*a*). Et omnino mirandum eſt, ex uno Cervo mortuo tot & tam varia, imò innumera ferè poſſe præparari medicamenta, de qvo videatur *Plinius* paſſim. Sic morſui canis rabidi mederi mirificè cinis cancrorum fluviatilium dicitur. Ita qvoqve Cornu Monocerotis Antidotum contra venenum, & ungvis Alces contra epilepſiam exiſtit præſentiſſimum.

a] *Mund. Subt. L. 12. S. 2. p. 375. a.*

§. XIV. Nunc ad homines accedo. Ubi varia qvoq; occurrunt opera mortuorum admiranda. Nam primò hominem mortuum ex medullâ ſpinæ generare ſerpentem, putant *Plinius* (*b*), *Porta* (*c*), *Levinus Lemnius* (*d*) aliiqve plures &c. Deinde cadavera hominum generare locuſtas demonſtrat *Kircherus* (*e*) Porrò multi exiſtimant, tempore peſtis homines de mortuos, præſertim mulieres, in ſepulcris *maſticare* (ſchmätzen), qvam in rem Dn. M. Joh. Mich. Schwimmer (*f*) ita ſcribit: *Si hiſtoriis fides habenda, exerit ſe vis hæc* (Sympathetica nempe) *omnino etiam inter vivos & mortuos, qvod ſepultus qvandoq; ex incuria, pollicibus manui non exemtis, atq; ore libero non relicto, ut ei ingerantur lintea, (ſicut neceſſariò ſic fieri, & ſepelitor in hæc obſervanda jurare debet) ſoleat reliqvos inficere conſangvineos, & totam tandem familiam; cujus rei ſignum dicitur eſſe, qvòd linteis ori oblatis, ſepulti ibi maſticare & glocitare ſoleant. Germani dicunt,* der Todte ſchmätzet in dem Grabe; *idq; ita notoriè auditur à prætereunte, vix ſine horreſcentibus pilis; ſolet enim linteum, qvantum modo poteſt ingeri, devorare &c.* & paulo poſt §. 13: *Hinc etiam hiſtoriæ memorant, qvandoq; fuiſſe ex*

b] *H. N. L. 10. c. 66.*
c] *Mag. Nat. L. 2. c. 2.*
d] *de Occult. Nat. Mirac. L. 4. c. 12. p. m. 403.*
e] *Mund. Subt. L. 12. S. 2. p. 363. a.*
f] *Curioſit. Phyſ. diſſert. 4. §. 12. p. 66.*

ex sepulcro eximendos, & decenter curandos, ut contagium cessarit, ob qvod & sepelitores juramento ligantur. Historias qvi desiderat, vid. ap. B. Lutherum (*a*), Möllerum (*b*), Kornmannum (*c*), aliosqve. Præterea qvoqve furibus suspensis capilli & ungves adhuc crescere dicuntur. confer. *Voigt.* (*d*) Sic & *Borellus* (*e*) atq; *Kornmannus* (*f*) referunt, qvòd mortuis in sepulcris adhuc dentes crescant.

§. XV. Non autem placet hîc attigisse ea, qvæ superstitiosa sunt, hinc nihil hîc refero de *pollicibus furum*, (Diebs-Daumen) vel *de manibus infantum*, utut vulgò superstitiosi homines multas, nescio qvasnam, operationes eis asscribant, cùm alia habeamus adhuc exempla, qvæ nobis admirationem stuporemqve sæpè incutiunt, qvæ inter referendum censeo, qvòd aqvis submersi & suffocati homines circa sextum vel septimum diem emergant & supernatent: additq; & hoc *Lemnius* (*g*), *qvod demersorum cadavera aqvis exemta, ex aliqvâ corporis parte sangvinem profundant, si præstò sit amicorum aliqvis, plerumq; tam rubrum ac floridum, qvasi facultates, spiritusq; vitales, qvi humores agitant, nondum essent sopiti.* Eodem ferme modô sæpè & à multis observatum est, qvod *cadavera occisorum præsente occisore sangvinem è vulnere, naribus, vel aliâ corporis parte profuderint.* Cujus rei unicum tantùm sed maximè notabile exemplum adducam ex ingenioso illo *Harsdörffero* (*b*): Scilicet cum Ann. 1607. d. 25. April. opilio qvidam in Hispaniâ suum pasceret gregem, à nobil bus duobus interfectus, & fruticeto injectus fuit. Judices ejus loci opilione multum diuq; perq; sito, post qvatriduum demum sub fruticeto eum reperiere. Qvoniam vero cædes illa sine testibus facta erat, suspicio in nob les illos, in viciniâ habitantes, cecidit, Qvi etiam capti, & ad occisi cadaver rapti sunt. Sed qvid fit? Primus vix limis, qvod ajunt, oculis cadaver aspexerat, ecce! copiosus inde promanare sangv s occipit. Altero verò accedente, ipsa interemti dextra adstantibus primò vulnera, pòst & ipsum occisorem monstravit. Qvô factum, ut duo illi nobiles sese cædis hujus auctores sponte confiterentur, dignumqve factis suis supplicium luerent. Plura exempla vid. ap. laudatum *Harsdorfferum* alibiqve ap. Autores passim.

a] Tischreden *Tit. 24. fol. 211, 212.*
b] *Annal. Freibergens. p. 254.*
c] *P. 7. de Mirac. Mort. c. 64.*
d] *Physical.* Zeitvertr. *Cent. III. q. 23. p. 610.*
e] *Cent. I. obs. 97. p. 602.*
f] *l. c. c. 42.*
g] *L. 2. de Occult. Nat. Mirac. c. 6. p. m. 159.*
b] In grossen Schauplatz Jämmerl. Mord-Geschichte *c. 129. 3. p. 444. &c.*

§. XVI. Adſcribuntur præterea qvibusdam humani corporis partibus præclaræ poſt mortem operationes. Sic e. gr. conſtat, *cutem humanam* parturientis corpori applicatam & ibi calefactam facilitare & promovere partum (*a*). Eadem in ſuffocatione hypochondriacâ commendatur, nec non in atrophiâ & contracturâ alicujus partis, ſi Chirothecæ inde factæ geſtentur; ſimiliter qvoqve ex eâ nobile emplaſtrum vulnerarium confici poteſt (*b*). *Sangvinem* hominis decollati calidum & adhuc fumantem, ſorbtum, hominis comitiali morbo laborantis ſangvinem reſtituere & curare antiqva Medicorum eſt ſententia, id qvod & de Cranio hominis violentâ morte defuncti, Medicorum Filii ſingulariter prædicant (*c*). *Levinus Lemnius* (*d*) uſu & experientiâ ſe compertum habere plenâ atteſtatur fide; *Oſſa humana* dyſentericis ex vino rubro exhibita fluxum ſangvinolentum cohibere. *Dentem hominis* mortui, efficacisſimè homini, dolore gingivarum laboranti, prodeſſe refert ex Goclenio Schwimmer (*e*). *Ex cerebro humano* varia præparari medicamenta Medicis notum eſt. *Pingvedinem hominis* internè recèns ſumtam phthiſi mederi & atrophiam tollere: externè verò diſcutere, roborare & contracturis opitulari iterum docet *Schröderus* l.c.p.675. Qvæ omnia, uti potius ad Medicorum, qvàm Phyſicorum forum ſpectant, ita & hîc illis ſuperſedeo.

a] Schwimmer *Curioſ. Phyſ. Diſſert. 5. p. 73.*
b] *Schroderus Pharmacop. Med. Chym. L. 5. S. 1. p. 674.*
c] *Schröderus l.c. p 675.*
d] *L. II. de Occult. Nac. Mir. c. 3. p. 148.*
e] *l. a.*

§. XVII. Nunc qvia Phyſica eſt ſcientia, & ſcire eſt rem per cauſas cognoſcere, ideo, qvod *eſt tertium diſputationis noſtræ membrum*, ad *cauſas* harum operationum mirabilium inveſtigandas animum appello. Primùm ergò qvod herbæ operentur poſt mortem in Medicinâ, (de qvo diximus §. 8.) id adſcribimus *Calido ipſarum innato*, ſive formæ calidi illius. Eſt autem Calidum illud innatum plantarum nihil aliud, qvàm Spiritus ille inſitus, humidumqve radicale, qvæ conjunctim modernis Chymicis Balſami naturalis nomine veniunt. Oritur ergò illa operandi facultas à forma illius calidi, qvæ cùm antea ut Forma ſubordinata inſerviret Formæ ſpecificæ, inſtrumenti vices gerendo, nunc, cùm herbæ aridæ varieqve ſæpe contuſæ formâ ſpecificâ deſtituantur, Forma ſubordinata Calidi innati imperium capeſſit & tanqvam

qvam principalis operatur. *Probamus* autem sententiam nostram primò, qvia adhibentur in Medicinâ herbæ violentâ morte extinctæ & avulsæ, ut in qvibus Calidum innatum adhuc viget, non verò morte naturali defungentes, cùm hæ pereant ex defectu calidi innati. Experientia siqvidem docet, herbas, cùm morte naturali pereunt, nullâ medendi vi & virtute pollere. Deinde probamus, qvia herbæ tamdiu vires suas integras retinent, qvamdiu obtinent balsamicam istam substantiam: qvamprimùm verò eam amittunt, atqve cariosæ fiunt, vel putridæ, tunc qvoqve nullum sui usum in Medicinâ ampliùs præbent. Cæterùm *qvòd qvædam herbæ certis corporis humani partibus consecratæ, iisdem medeantur*, id omnino Sympathiæ adscribendum censemus, qvam formæ partiales illarum corporis partium habent cum certis herbis. Sic à partiali certorum membrorum formâ ejusqve Sympathiâ provenit, qvando capiti inservit Majorana aut capita papaveris, oculis Euphrasia, Pulmonibus pulmonaria, Epati epatica, renibus testibusve orchides aut bulbi, cordi mala citrea, doloribus dentium radices silicis aut juniperus, &c. conferatur *Pozuarius de Consens. & Dissens. Corp. Nat. disp. 1. B 3.*

§. XVIII. Qvòd autem *herbæ, postqvam in fimo putruerunt, revivisant*, de qvô in eâd. §. dictum est, id, ut cum B. Sennerto (*a*) respondeam, ideo fit, (1) qvia certum est, non omnes plantas evulsas statim emori, ut in scillâ & semper vivo Americano videre est. (2) Qvia seminium adhuc in putridis illis herbis latere potest, formam continens. (3) Qvia compertum, non omnes plantas per semen certo modo formatum & uni particulæ inclusum propagari, sed succum illum, qvi seminale principium in se continet, in multis per totam plantam diffusum esse, ita ut per surculum avulsum, vel radicem abscissam etiam planta propagari & sese multiplicare possit: atqve hoc modo vis seminalis, sive à radice, sive qvocunqve modo à plantâ ejusdem speciei communicata, diu sæpe insensibiliter latere & se postea exserere potest. Et hoc modo Acanthi seminalem vim occultam in terra latuisse octo annos refert & testatur Scaliger (*b*). *Qvod verò fungos & tubera producunt arbores putridæ*, id adscribendum formæ fungorum & tuberum videtur, qvæ sine dubio in arboribus vivis

a] *Hypomn. V. c. 7. p. 442. 199.*

b] *Exercit. 140. p. 469.*

vivis fuit subordinata, & cum succo sive principio fungorum seminali, terræ incluso, ab arborum radicibus attracta, postea ex excrementis & superfluis arborum humoribus materiam sibi sumsit, & tale corpus exinde formavit.

§ XIX. Sed investigatu difficilius paulò videtur, *qvomodo & qvâ ratione ex plantis & arboribus mortuis vermes & animalia*, qvàm planta ipsa nobiliori gradu prædita, gigni possint, de qvo in §. 9. expositum est: cùm tamen effectus non possit esse nobilior suâ causâ. Verùm talem generationem & productionem vermium & insectorum ex plantis & arboribus defunctis, non ipsis plantis, vel arboribus, aut generationi æqvivocæ adscribimus, sed potiùs Formis Accidentariis, qvæ ad tempus in iisdem latuére. Insinuantur autem illæ formæ vermium & insectorum arboribus aliisq; plantis in suis seminiis, & qvidem diversimodè. Vel enim plantæ illa seminia animalium per humores terræ, qvibus nutriuntur, qviq; sæpe tùm spermaticis corpusculis diversorum animantium cadaverum, tùm spermaticis vivorum animalium excrementis imbuti, imbibunt & insugunt; vel insecta arborum herbarumqve foliis insidentia aliqvid spermatici vel mucosi excrementi ex se dimittunt, vel alio qvocunqve modo illa seminia à plantis hauriuntur iisdemqve accidentaliter inferuntur, qvæ seminia tanqvam formæ Accidentariæ in plantis tamdiu latent, donec plantæ amissâ formâ specificâ putredinem subeant, in qvâ putredine deinde calore fermentata seminia illa insectorum sese exserunt: aut sæpe etiam, anteqvam moriantur plantæ, hæc seminia perficiuntur per calorem, qvô fructus plantarum coqvuntur & maturescunt; unde sæpe tot vermes in prunis, pomis, piris, nucibus, deprehendimus. Elegans hanc in rem exemplum *B. Sperlingius* observavit: Scil. dicit, se habuisse prunum, cujus fructus qvotannis vermibus scaterent. Tandem se fodientem circa radices arboris in terrâ observâsse plura excrementa & seminia insectorum, qvibus remotis arbor postea pruna bona protulerit. Qvam rem pluribus & accuratè deducit *Kircherus l.c.p.350. & 360.* qvi etiam in specie conferri potest de Bombycis artificiosissimi illius pretiosi serici filatoris ortu; item de productione insectorum ex putrido Liburni ramo locis supra citatis.

tat s. *De Anseribus autem Scoticis* qvod refertur, vetus fabula st, cùm non ex arboribus sive lignis, sed in arboribus, sive sub arboribus in litore ex ovis nascantur. Placent hîc imprimis mi-i verba *Franzii* (*a*), qvæ ex eô adducit *Sperlingius in Synops. p. m. 38: Nunqvam*, ait, *firmiter potui persvaderi, anseres ex arboribus asci. Tandem incidi in historiam navigationum Hollandicarum ersus novam Chinam susceptarum, ibiq; deprehendi ad annum 1597. ſ qvidem ad 11. Julii è regione insula Crucis ab Hollandis reperta uisse ova illorum anserum, qvos anseres decepti credidimus nasci ex rboribus, qvibus anseres tales insederunt ad fovendum & ad exclu-endum pullos.*

a] *Hist. Animal. p. m. 400.*

§. XX. Venio nunc ad experimenta Chymicorum, (de qvibus §. 10 actum est,) *qvibus resuscitationem plantarum probare aborant*, de qvo, qvid nostra sit sententia, hîc breviter exponen-lum erit. Ubi dico qvamvis adeò non negem, posse per artem aturæ conjunctam plantam qvandam specie, non verò numero andem ex plantæ cineribus, vel potiùs ex seminali principio in ineris sale latente generari vel produci; Exinde tamen aliqvam nferri posse plantarum resuscitationem ex mortuis concedi nec oteſt nec debet, cum nondum satis probatum sit, nec unqvam robari possit, eandem numero plantam ê cineribus suis posse esuscitari. Nam (1) planta qvando in cineres redigitur, tunc non solum ejus materia destruitur & in atomos resolvitur; sed etiam anima annihilatur & vita perit. Jam verò â privatione d habitum naturaliter non datur regressus. (2.) Ars Chymica tanqvam Accidens per se non potest producere plantam tanqvã substantiam. Aliàs effectus nobilior esset suâ causâ. Dicis: Artem Chymicam hoc facere mediantibus Naturâ & Principio seminali, qvod latet in cineribus &c. R. Si hoc, tunc non eadem numero planta, qvæ combusta erat, resucitatur, sed alia diversa numero per Naturam ex principio seminali generatur. Qvemadmodum autem filius ex Semine Patris productus â Patre numero differt, licet specie conveniat: Ita & resuscitata planta â combustâ numero distingvitur, qvia ex ejusdem semine producta est. Qvanqvam (3) adhuc sub judice lis sit, an *vera* sit illa planta, qvæ modo â Chymicis præscripto producitur, cum evanescentia ejusdem remoto calore, vel superveniente vehementiori frigore, non

parum

parum eam reddat suspectam. Qvod in specie notandum circa exempla superius ex Kirchero allata. Plura qvidem afferri hanc in rem possent argumenta, nisi hæc ipsa tanti essent, ut omnem Adversariorum impetum facilè cohiberent & superarent. Insuper de eâ Controversiâ pluribus conferri potest Excell. Chymicus *Rolfinccius* (*a*) Ubi Resurrectionem plantarum pro non-Ente Chymico habet & *Exper. Dominus D. Major.* (*b*).

a] *lib. 6. Art. Chym.*

b] *in Dissert. Epistol. de Canc. & Serpent. putref. pag. 32.*

XXI. Eadem & hîc locum habere possunt, *cùm qvidam ex exemplis & experimentis de Serpente, Ostreis, Erucis, aliisq; suprà* §. II. adductis, probare nituntur brutorum ex mortuis resuscitationem: Cùm exemplum de *serpentibus* minutim concisis & putrefactis tantùm probet serpentum ex semine productionem, minimè autem serpentum â mortuis resuscitationem. De *Ostreis* in salem conversis eodem modo res se habet, & qvanqvam concedi possit, ex Ostreis in Salem conversis & arenæ maris commistis alias successu temporis posse oriri; dubitare tamen qvis possit, an præcisè ex cinere illo novæ Ostreæ oriantur, cùm probabilius sit, eas ex Ostrearum seminio arenæ maris admixto exortas fuisse. Aliàs non video qvid obster, qvò minùs id in aliis terræ locis æqvè ac in arenâ maris fieri potuerit. Qvæ de Locustis habet *Kircherus* l. a. qvod etiam ex suis cadaveribus aliæ Locustæ nascantur, satis accuratè declarat ipse, qvando scribit: *Tertiò dico hujusmodi perniciosam pullulaginem qvoq; ex ipsis Locustarum intereuntium cadaveribus opportuno anni tempore renasci, pluviis enim & inundatione fluminum corrupta & putrefacta harum cadavera, una terrenis glebis limoq; commista terræ conduntur, ubi sota hyeme qvidem subterraneo, æstate verò externo calore in Locustas virtute seminis animantur.* Eodem modo etiam Ranæ ê limo, in qvem antea resolutæ, iterum producuntur beneficio caloris supervenientis.

§. XXII. Qvando verò *generantur ex Ciconiis serpentes, ê Gallinis Aranea, ex Anatibus Ranæ & Bufones* & sic porrò, de qvibus relatum in §. 12. ibi confugiendum ad Accidentarias Formas, qvæ unà cum animalculorum istorum seminibus per cibum, potum, aliisq; modis qvibusdam corporibus insinuantur & ab iisdem assumuntur: postea verò recedente *Animâ Specificâ*, qvæ imperium hactenus tenuit, sui qvasi juris evadunt & ipsæ specificarum

carum Naturam induunt. Experientiâ enim cuilibet facilè constat, Ciconias Serpentibus, Gallinas Araneis, Anates Ranis & Bufonibus pro alimento suo uti. Sed dicis: *Qvomodo Formæ Vesparum, Fucorum, Apum &c. Corpora Eqvorum, Boum, vel Asinorum ingrediuntur*, de qvo in ead. §. dictum, cùm talia animalia illis Insectis minimè vescantur? Hîc Respondeo: Qvamvis hæc animalia non vescantur Vespis aut aliis Insectis, nihilominus tamen in pascuo Herbis, Plantisqve in alimentum assumtis simul nonnulla Insectorum Seminia, ab ipsis Insectis, Plantarum Herbarumque succis inhiantibus, per excrementa vel aliam mucosam materiam exclusa assumere. Qvorum Seminiorum Formæ tanqvam Accidentariæ ad tempus Animalium corporibus insunt tamdiu, qvamdiu Specifica in illis residua est. Vel, si hoc non placet, dico, rem deferendam esse ad Formas Subordinatas. Videtur enim Deus in certis corporibus præter Formam Specificam produxisse Formas Subordinatas, qvæ hodie adhuc cum Seminibus eorum producuntur & ad tempus subsunt Formæ Specificæ, donec hæc ê materiâ suâ egrediatur: Tunc enim ipsæ in materiâ regnare incipiunt, sicuti, cùm Rex mortuus est, sæpe Subditus imperare incipit, qvo simili *Zabarella* utitur: v. c. Cùm Deus conderet Eqvum, videtur præter Formam Specificam, qvæ Eqvum in suo Esse constituit, ei etiam dedisse Formas Subordinatas Vesparum: qvando ergò Forma Specifica Eqvi abiit, Vesparum Forma in materiâ Eqvi regnare incipit, & sic Vespæ inde prodeunt. Qvòd *Plantæ nascantur ex animalibus demortuis*, causa est hæc, qvia Animalia Plantis istis pro alimento usa sunt: Formæ ergò vel Semina Plantarum durant adhuc in materiâ comestâ & post mortem se exerunt. Duobus tantum Exemplis rem manifestam faciam: Ex Sue demortuo nascuntur Sonchi, ex Asino Cardui, non aliâ de causâ, qvàm qvia Sus & Asinus his Lactucis delectantur.

§. XXIII. De *Chordis ac pelle Ovis ac Lupi* item *pennis Aqvilinis appositis aliis pennis*, de qvo etiam §. 12, diversa inter Eruditos sunt judicia, variæqve sententiæ. Qvi id affirmant adscribunt Antipathiæ. Sunt tamen qvi illas operationes pro

(a) *Theat. Nat. l. 2. p. 249.* fabula & figmento superstitioso habent, ut Bodin. (a) Qui de Chordis ex Ove & Lupo confectis ita scribit: *Plerique putant, chordas ex agno & lupo nulla posse concordia conciliari, quæ tradita pro veris experientia magistra rerum falsa esse comprobavit. Nec certi quid sæpe præstantissimi Musici eâ de re affirmare habent.* De tympanis verò simul & Fidibus judicat Conrad. Gesner. (b) *quod Lupina pellis, cum durior sit ovili, sonum procul dubio in tympanis & fidibus longè clariorem edat, ut sonus reliquorum longè inferior minus animadvertatur, rumpi tamen vel plane obmutescere eam quis*, inquit, *credat?* Cæterùm pellem ovillam lupinæ conjunctam absumi citius non mirum est, ut & anseris pennas absumi prius quam Aquilæ, si conjunxeris: Sicciorum enim animalium partes etiam sicciores minusque excrementitiæ sunt, & eandem ob causam diuturniores. Eadem sententia etiam est *Vossii*, (c) & *Jonstoni*, (d) Quibus se associat etiam B. Sperlingius. (e)

(b) *Hist. An. lib. 1. p. 887.*

(c) *Theol. Gentil. l. 3. c. 60. p. 1055. it: c. 75. p. 1149.*

(d) *Hist. N. de quadr. p. 130.*

(e) *Zool. l. 4. c. 2. q. 5. p. m. 294.*

§. XXIV. Rectiùs vero *consensus & dissensus* vel *Raptus similium & Fuga Dissimilium* in censum veniunt, quando §. 13. diximus, quòd *Venenata animalia post mortem contra Venena prosint*, Venenum in corpore latens ad se attrahendo; Aut quando contra Epilepsiam cornua & Ungula Alces, vel cornu Monocerotis contra Venenum adhibentur. Priores enim operationes Sympathiæ, quâ attrahunt sibi simile, posteriores Antipathiæ, quâ pellunt & fugant sibi dissimile, adscribimus. Sed ille consensus & dissensus meritò accensendus venit Formis Subordinatis, minimè specificis, quæ amplius non dantur in iis corporibus.

§. XXV. Restat nunc, ut etiam breviter *operationes, quæ homini post mortem tribuuntur*, examinemus, earundemque rationes pro virili suppeditemus. Primò ergò quando diximus §. 14. ex hominum *cadaveribus locustas posse* nasci, rationem luculentam satis suppeditat *Kircherus* l. c. cùm ait; *Quia historiis variis comprobatur, Locustas erupisse imprimis ex cadaveribus Hominum bello sive fame pereuntium, dico, id fieri ex corrupto frumento, quo plerumque milites & homines, item Animalia tempore fame ex defectu annonæ vescuntur, quod* (frumentum) *cùm seminiis horum*

anima-

animalium refertum sit, hinc fit, ut in cadaveribus spermatica materia calore tùm externo tùm interno fermentata tandem in locustas animatur.

§. XXVI. Qvod verò id attinet; *An homo mortuus ê medullâ spinæ generet serpentem?* Non desunt, qvi id affirmant, ut patet ex suprà §. 14. citatis Auctoribus, qvamvis qvidam eorum etiam de eo dubitari videantur, ut *Lemnius*, cùm non propriam experientiam adducat pro testimonio, sed solùm dicat, id *memoriæ proditum esse*. Et ipse Plinius scribit, se ab aliis hoc accepisse. (Qvanqvam nec id negandum, qvosdam ad experientiam provocare, ut *Camerarius* ejus rei aliqvot exempla profert, (*a*) qvod sæpe in defunctorum sepulchris reperti fuerint serpentes.) Sed tantum abest ut horum præclarorum virorum vel Auctoritas, vel Ratio in eorum sententiam nos trahat, ut potius negativæ subscribamus. Experientiam enim contrariam cum rationibus firmissimis opponimus. Experientia est hæc, qvòd sæpe certas ob causas aperta sepulchra & aspecta Cadavera sint, nusqvam tamen visi serpentes. Et testantur qvoq; Vespillones in sepulchris densè profundis, ad qvæ animalia penetrare neqveunt, sæpe ne unicum qvidem vermiculum nedum serpentem reperiri. Ut nihil dicam de monumentis Principum, probe munitis, in qvibus nullus usqvam serpens reperitur, vide hâc re pulchrè differentem B. *Franzium*. (*b*) Etsi verò in sepulchris, ad qvæ animalibus in terra degentibus patet aditus, deprehensi serpentes fuerint, nullam tamen video rationem, qvæ nos urgeat, ut statuamus statim illos ex spinâ hominis originem ducere, cùm aliæ adsint causæ & rationes, qvibus hæc qvæstio decidi potest. Nam dicimus, serpentes odorem ê cadaveribus humanis egredientem per minima naturæ percipientes, allectos fuisse ad carnem cadaverum tanqvam per se dulcem, cujus dulcedini mirum in modum inhiare, eâqve maximè teneri serpentes Physici peritissimi docent. Rationes sunt istæ, qvia, qvicqvid generatur, ex sibi simili generatur; Ergo non possunt generari serpentes ex homine,

(*a*) *Hor Succis. Cent. 1. c. 11.*

(*b*) *de Interpr. Script. Sac. Orac. 133.*

partim qvia tota terra foret plena ſerpentum, ſi omnia cadavera humana ſerpentes ederent.

§. XXVII. Multò minùs puto ex naturâ probare poſſe ſuam ſententiam eos, qvi putant, *homines defunctos tempore peſtis, præſertim mulieres, maſticare.* Si qvid tamen ejus rei contigit, ſtatuo cum B. Luthero veram cauſam eſſe Diabolum, qvi ſæpe per hujusmodi præſtigias credulos ac ſuperſtitioſos â Deo abducere & in ſecuritatem ſeducere, illorumqve animis perverſam opinionem inducere tentat, ac ſi non Deus immittat peſtem propter peccata, ſed qvòd illa oriretur â tali defunctorum maſticatione qvæ omnia prolixè ſatis & accuratè pertractat *Voigt* (a) Qvibus etiam fabulas Judæorum lectu jucundisſimas, inſperſit.

(a) *Physical. Zeit-Vertr. Cent. 3. Q. 5. p 556.*

§. XXVIII. Sic qvoqve propriè *loqvendo capilli & ungves in furibo ſuſpenſis, & dentes in demortuis, adhuc creſcere vel augmentari non poſſunt.* Qvia facultas augmentatrix competit ſolæ animæ vegetativæ, jam verò in defunctis non amplius adeſt anima, ergo nec facultas illa augmentatrix, nec facultatis operatio. Sublatâ enim causâ tollitur effectus. Qvando verò in furibus ſuſpenſis cutis in capite & caro in digitis, vel in mortuis gingivarum tumor exſpiratis humoribus ſpiritibusve flacceſcit, tum prominentiores & longiores pilos, ungves & dentes apparere facilè concedo. Qvanqvam etiam non negem, fieri qvandoqve poſſe, ut aliqvid ex ſangvine in corpore reſiduo pilis & ungvibus apponatur. Nam, cùm ex Philoſophiâ naturali conſtet, pilos & ungves generari ex ſangvine ignobiliori, ipſum verò ſangvinem manere in venis fluidum, qvid prohibet, qvo minùs ille ſangvis radicibus pilorum & ungvium ſe jungat, ſicqve obſtetricante calore & humore capilli & ungves extendantur: Ubi tamen inter augmentationem veram, & accretionem qvalemcunqve diſtingvendum ſedulò eſt.

§. XXIX. Porrò, dum qværitur §. 15. *Cur cadavera hominum ſubmerſorum poſt aliqvot dies emergant, cum tamen, dum adhuc viverent, ſubmerſa fuerint?* Non jam adducam multas multorum

torum ſæpeqve ineptas opiniones, cùm illæ jampridem ſatis explosæ ſint. *Lemnius l.c.* ad aërẽ in pulmonibus contentum recurrit corpusqve mortuum propter aëris copiam ibi residuam elevari censet. Sed huic sententiæ reponimus, qvòd ſi aër in pulmonibus hujus emersionis causa ſit, certè etiam non sineret hominem adhuc vivum submergi cum pulmones in vivis plus contineant aëris, qvàm in mortuis; In iisqve aër attrahatur, in his verò ejiciatur. Alii causam hujus emersionis cadaverum ipsi aqvæ adscribunt, ut cujus natura sit seipsum purgare, ominaqve heterogenea & putrida emovere. Qvæ sententia præter *Senecam* (a) etiam est B. nostri *Sperlingii*, Magni illius Naturæ Secretarii (b) conf. *Voigt.* (c).

(a) *l.3. N. Q. cap. 26.*
(b) *l. 4. Inst. c.3. p.596.*
(c) *Physical. Zeit-Vertr. Cent.3. q.29. p. 631.*

§. XXX. Tandem non minùs ardua qvæstio est: *An & qvare Cadaver hominis occisi præsente occisore fundat sangvinem?* Cujus in rei causa investiganda multi sanè & præclari Viri desudârunt, sed plurimi frustra laborârunt. Omnium autem sententias hìc adducere & ventilare instituti mei ratio & brevitas, cui studeo, prohibet. *Levin. Lemn.* l. c. id adscribit antipathiæ, cui assentitur *Delrio* (d) Verùm huic sententiæ, probabilis qvantumvis videatur, subscribere non possum. Inimicitia enim inter sangvinem occisi & occisoris non potest dici Antipathia, qvia (1) non est â naturâ congenita & innata, sed ex accidenti occisori & occidendo impressa: (2) Antipathia omnis perpetuò durat hoste præsente; At non semper præsente hoste fluxit sangvis ex cadavere occisi. Nam exempla prostant, ubi (α) sangvis ex cadavere occisi non semper stillavit, qvantumvis occisor præsens fuerit, (β) sæpe etiam ad cognatorum præsentiam emanavit (γ) qvoqve sæpe nullo vel amicorum vel interfectore præsente effluxit. Alii ad Spiritus ex interfectoris oculis in cadaver egredientes confugiunt, eosqve vî suâ sangvinem illum commovere & elicere statuũt. Sed præterqvã qvòd hæc sentẽtia ex rationibus jam allatis facilè corruat, etiam non satis apparet, undenam spiritus illi tantam vim habeant, ut sangvinem in cadavere commovere qveant. Nos, missis aliorum sententiis omnibus, dicimus

(d) *Disq. Mag. l.1. c.3. q.4. p. 61.*

id

id casu fieri sæpe, & qvidem naturaliter. Sæpe enim fieri potest ut sangvis, qvi in venis delituit, agitato motoqve corpore erumpat, qvia sangvis in cadaveribus non statim concrescit, sed multis etiam sæpe diebus fluxibilitatem retinet. Qvod si verò accedente occisore cadaver occisi nullo præcedente graviori motu fundat sangvinem rubicundum, aliaqve signa inconsveta edat, tunc omnino ad causam supernaturalem fugiendum, Deum scil., qvi sæpè supernaturaliter occisorem manifestare vult, uti ex exemplo de Opilione interfecto suprà allato patet.

§. XXXI. Restat, ut etiam causas investigem operationum *qvæ qvibusdam humani corporis partibus* integrantibus post mortem tribuuntur, præsertim in Medicinâ, ubi omnia, qvæ considerationis Medicæ sunt, Medicorum Filiis exponenda relinqvo, ea tantummodò consideraturus breviter, qvæ ad forum Physicum spectant. Nos, ubi videmus hoc corporis membrum hanc & non aliam edere operationem e. gr. per ossa humana dysenteriam cohiberi, minimè verò per cranium, & vice versa &c. ibi ad partiales formas confugiendum esse censemus. Nam diversitas operationum indicat diversitatem formarum. Sic aliam formam habet Ventriculus, aliam Epar, aliam Cor, aliam Lien, aliam Testes, aliam mammæ, aliam partes aliæ, Conf. B. Sperling. in Tract. de Orig. Form. pag. 5. Atqve hæc sunt, qvæ de hac materiâ satis ardua & intricatâ chartis mandare visum est. Multa adhuc restarent dicenda, sed qvis omnia in re tam prolixa exponat? Sufficiat nobis levi penicillo aliqvam umbram rei expressisse: qvi vel accuratiori præditi sunt ingenio, vel plus habent temporis & sumptuum, qvæ huic negotio impendant, perfectam ejus imaginem sistere poterunt. Nos interim à qvo cœpimus nostri laboris primordium, cum eo etiam finem facimus, dicentes:

Soli Deo Gloria.